



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE QUANDOQUIDEM CLERUS B. M. V. A MERCEDE, ATQUE S. IOANNES BAPTISTA CONFIRMATUR ILLA

PATRONA PRINCIPALIS, HIC SECUNDARIUS DIOECESIS CHASCOMUSENSIS Ad perpetuae rei memoriam. – Quandoquidem clerus atque fideles dioecesis Chascomusensis, ob antiquam sanctamque religionem qua tenentur erga beatissimam Christi Matrem sub titulo a Mercede atque S. Ioannem Baptistam, Praecursorem Domini, hos ambos Patronos suae dioecesis elegerunt, Principalem quidem illam, hunc Secundarium; atque Venerabilis Frater Rodolfus Bufano Episcopus eiusdem Sedis, factam electionem adprobans, cleri populique nomine, praeterquam suo, ab hac beati Petri Sede confirmationem actae electionis petierit, ad normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30; Nos, qui meritum Beatae Mariae Virginis Sanctorumque honorem augeri semper optavimus, aequo sane animo admotae expostulations concedimus. Qua re, iis probatis, quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino hac de re statuerit factis olim a Nobis facultatibus, placet Beatissimam Virginem Mariam a Mercede Patronam Principalem esse et haberi dioecesis Chascomusensis, Sanctum vero Ioannem Baptistam Patronum Secundarium, cum omnibus iuribus ac privilegiis liturgicis iuxta rubricas consequentibus; quod nempe eo consilio gerimus, ut pietas erga caelestem Matrem, virtutum omnium exemplar, et S. Ioannem Baptistam, eximium Christi Praeconem, et gliscat, ut fiamma, et moveat ad imitationem. Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIV mensis Iunii, anno MDCCCCLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1982 - Libreria Editrice Vaticana
